

Joachim Krisow Daniel Stüve

Dissertatio Philosophica De Quaestione: An Apprehensio Simplicium Veritatis Et Falsitatis Sit Capax

Rostochii: Kilius, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730585832>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 1673
Joachim Krison
Daniel Stüve

I. S. N. J. C.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
De
QUÆSTIONE:
AN APPREHENSIO SIMPLI-
CIUM VERITATIS ET FALSITA-
TIS SIT CAPAX ?

Quam
Auspiciis Primæ Veritatis
Benevolò indultu Amplissimæ Faculta-
tis Philosophicæ
In Inclytâ ad Varnum Academiâ
PRÆSIDE
CLARISSIMO VIRO
DN. M. JOACHIMO
KRISOVIO,

publico Examine submittit
DANIEL Stübe / Gedanensis
Auctor & Respondens

In Auditorio Majori
ANNO M. DC. LXXIII. d. Septembris.



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

DISSEMINATIO
GILBERTI
ANALYTICIS
CUM VERT. ET FAMILIA
DE RE...

ANALYTICIS
Eius obitum
in...
ANALYTICIS
DE RE...

DANIEL
ANALYTICIS
ANALYTICIS
ANALYTICIS
ANALYTICIS



I. S. N. J. C.

PROOEMIUM.



Democritus Abderites, is, qui, generosus Vanitatum ævi sui Contemptor,

Ridebat, quoties à limine moverat unum

Protuleratq; pedem -----

quot difficultates sedulo Veritatis Perscrutatori passim sese offerant, quantumq; ipsi in hoc studio molestiarum devorandum sit, indicaturus, Veritatem haud abs re in Puteo quodam profundissimo demersam quasi esse, Tullio Lib. 1. Academ. Quæst. teste, asseruit. Quamvis enim ex alio capite Lactantius Scriptor Christianus, Lib. 3. Divin. Instit. cap. 28. hanc sapientis Pagani sententiam sententiæ parum commodæ accuset; in eo tamen à vero abiisse haud quaquam videtur Democritus, quòd tantum omnino, si non plus, operæ ac laboris investigandæ rerum Veritati impendendum esse, olim credidit, quanto alias, si quid vel ex infimâ putei cujusdam profundissimi parte eruendum sit, opus videretur. Neque
A 2
verò

verò cum speciali tantùm rerum veritate ita comparatum esse intelligimus, sed & si in genere, quid Veritas, ubi illa sit, & id genus alia, exponi debeant, idem planè deprehendere licebit. Atq; ejusdem quoque conditionis præsens est Quæstio, quâ: *An Veritatis, eiq; oppositæ Falsitatis simplicium Apprehensio capax sit*, disceptandum proponitur. Quòd si igitur in Pertractatione Quæstiri illius ob argumenti difficultatem, viri-umque ingenii Imbecillitatem (quæ satis nobis superque perspecta est) cespitare aliquando contigerit, veniam ab æquis ac candidis rerum æstimatoribus uti enixè efflagitamus, ita certò quoque nobis pollicemur. Tu ò Benignissime DEUS, qui solus ipsa es Veritas, Instituti nostri ingressum dirigas, egressum compleas per Christum Dominum nostrum!

S. I.

Pertractationem præsentis Quæstiri tres potissimùm Disciplinæ, Metaphysica, Physica, & Logica sibi vindicant. Ac Metaphysicorum quidem quàm plurimos de eo agere, ex Inspectione eorum, qui paulò accuratius in hoc opere versati, facillimè patet. Vid. inter alios Svarez Disp. 8. Met. Sect. 3. B. Jac. Martini Partit. Met. L. 1. Sect. 5. q. 3. Dn. D. Calov. Met. Div. Part. gen. p. 339. Sthal. Tab. Met. Tab. de Veritate Franc. Abra de Raconis, Petrus à S. Joseph. locis infra citandis, aliique. Quamvis enim illa Veritas, de quâ in præsentis sermo, nequaquam cum Veritate Transcendentali, quæ Affectio est Entis, sit confundenda; ut Cognatum tamen ejus rectè illam hic loci pertractari, censendum est. Neque verò Metaphysicum tantùm de nostrâ quæstione agere, sed nec à Physico illius ventilationem prorsus alienam esse, dictum fuit. Is enim in

enim in Doctrinâ de Animâ humanâ functiones quoque Intellectûs, atque unâ hanc affectionem earundem Veritatem exponere potest. Vid. Dn. Sperling. Anthropol. l. 3. c. 3. q. 5. Quin nec Logicorum, nonnulli, qui prolixius de Controversiis sui fori agendum sibi esse arbitrati sunt, nostri hujus Quæstionis tractationem omittere voluerunt: utut sub respectu quodam notionali id factum, satis item sit in proclivi. Vid. Tolet. in r. *ἠδὲ ἐπιμνη.* cap. 1. q. 2. Eustachius à S. Paulo Sum. Philos. Part 2. Præfat. ad Primam Partem Log. Regius Disp. Log., Lib. 3. Probl. 4. Scheibl. Tract. d. Proposit. Cap. 3. q. 3. n. 13. seqq. Sthal. Quæst. Log. 33. D. Hornej. Instit. Log. L. 3. q. II. & Exerc. Log. 5. th. 24. Quanquã autem eorum omnium institutũ examinare nobis jam animus non sit; primariam tamen Quæstionis propositæ sedem inter Disciplinas recensitas Disciplinæ duæ priores, Metaphysica & Physica exhibere videntur, uti id de Physicâ Svarez cit. Disp. 8. Procem. de Metaphysicâ; Toletus c. I. init. quæst. concedunt. Quod si tamen quis Gnostologiam peculiarem ac à reliquis distinctam Disciplinam agnoscere velit, commodè illi etiam Tractatio hujus Quæstionis vindicabitur: quam tamen Controversiam, an Gnostologia peculiaris Disciplina sit, nostram hic non faciemus. Vid. interim M. Georg. Mejerus Disput. Gnostol. 9. Cap. 9. Hac de Sede Disciplinari nostræ Quæstionis. Ut ad rem deveniamus, in ipsâ Tractatione Quæstionis ordinis gratiã primũ quidem *Explicatio* Quæstionis præmittenda erit: cui post succedet *Confirmatio*: quibus demum expeditis *Palmariarum quarundam Objectionum solutio* subjicietur.

§. II. Ac initio quidem ignotum illud esse nemini potest, communi Philosophorum suffragio tres Operationes intellectus humani Cognoscentis, Apprehensionem scil. simplicium, Compositionem & Divisionem, Discursum denique allegari. De secundâ & tertiã quæstio nobis jam non est, sed sola apprehensio simplicium conceptuum in controversiam venit. Ad hanc verò, uti annotavit Dn. Sthalius cit: l. sect. 1. non illi tantũ Conceptûs, qui voce unâ exprimuntur (qualis est Conceptus hominis) sunt referendi, sed & qui pluribus efferrî solent, dummodo non actualis Copulatio, beneficio verbi substantivi est, intercedat, [*Terminorum Complexorum nomine etiam apud nonnullos Logicos veniunt*] cujus generis v. g. Orationes definitivæ extra Propositionem esse consueverunt. Utriusq; generis Conceptûs certâ quãdam ratione & Veritatis & Falsitatis ca-

paces esse, aherimus. Neque enim ulla prægnans videtur esse ratio, quâ permoticum Petro à S. Joseph. Metaph. L. 2. cap. 3. artic. 3. utriusque quidem generis conceptus veritatem, solos verò Conceptus simplices, quos Complexos dicunt, Falsitatem admittere, statuamus.

§. III. Hisce prælibatis, ulterius quoque, ne in ignotâ veritari nobis sylvâ videamur, de quâ Veritate & Falsitate loquamur, indicandum venit. Non ergo (1) nobis quæstio est de *Veritate Transcendentali*, seu in *essendo*, sed de *Veritate Cognitionis*, seu *formali*, eique oppositâ *Falsitate*. Neque enim satisfecisse, Suarez cit. Disp. 8. sect. 3. n. 7. & Toletus c. l. aliique videntur, Conceptibus simplicibus attribuentes Veritatem Transcendentalem, quam Suarez c. l. pôst, eò quod horum Conceptuum esse solum sit esse cognitionis, Veritatem Cognitionis appellat. Verba ipsius Suarezii, ut, quæ ipsius mens fit, tantò rectiùs pateat, integra allegabimus: *Hæc Veritas*, inquit, *quæ in simplici mentis notitiâ reperitur, nihil aliud est, quàm veritas ipsa Transcendentalis, his entibus accommodata. Nam, si veritas, quam vocant in essendo, est adæquata Passio Entis, ut dicemus, in unoquoque Ente juxta modum Naturæ suæ reperietur; Ergo & in his entibus, quæ sunt simplices conceptus mentis. Unde quia esse proprium horum conceptuum est esse Cognitionis, & consequenter formaliter reddere cognoscentem eum, cui insunt, ideò Veritas talis Conceptus est etiam Veritas Cognitionis.* Hæc ille. Enimverò confundi hoc modo distinctissima quis non videt? Distinxerat satis clarè ipsemet Suar. cit. Disp. princ. Veritatem Cognitionis à Veritate Transcendentali: dixerat illam in intellectu cognoscente res; hanc in rebus ipsis reperiri; illius pertradtationem primariò ad *Physicam*, hujus considerationem ad *Metaphysicam* unicè pertinere. Et prolixè pôst sect. 7. mà de veritate transcendentali agit, eandemque in conformitate rerum cum Intellectu cum Divino tum Humano consistere ostendit. Conf. in primis num. 25. Sect: cit. princ. vid. & D. Hornej. Instit. Log. l. 3. q. 1. qui item Veritatem Transcendentalem à Veritate Cognitionis distinguendam docet, hancque demum in simplicem & Complexam distribuit. Nequaquam igitur hæc in dicto ucto Quæstionis propositæ sensu cognoscendo confundenda erunt, Quò autem Discursui Suarezii c. l. satisfieri possit, obs. quando h. l. de Veritate Cognitionis Conceptuum simplicium sermo est, Conceptus illos non *in genere entium*, quæ. ipsi. ab Intellectu vel Divino vel

Humano

Humano, eoque vel subjective diverso, vel eodem per actum reflexum cognoscuntur, indeque transcendentaliter veri denominantur, in presenti considerari; sed quia illi ipsi ad Objecta cognita relationem dicunt, ac conformitatem cum illis connotant: cum formale veritatis in cognoscendo nullum aliud sit, quam quod superaddat actui cognoscendi connotationem Objecti ita sese habentis, sicut per actum cognoscendi repræsentatur, uti explicat Suar. cit. disp. sect. 2. n. 9.

Quemadmodum autem de Veritate Cognitionis hic quæstionem esse indicavimus, ita facili quoque negotio hinc colligi poterit, non de aliâ Falsitate, quam quæ Cognitionis dicitur, nos itidem loqui. Neque enim Conceptus simpliciter transcendentaliter falsos ullo in casu dicere absque insigni absurditate licet. Nam uti veritas Transcendentalis cum ente reciprocatur & unumquodque uti est, ita est verum, sic & ubi quis rem quampiam transcendentaliter falsam denominaverit, ex verorum entium ordine illam rem exemisse est iudicandus, id quod latius suo loco probatum ire. Metaphysici solent. Ex iis verò, quæ de veritate Cognitionis dicta sunt, in promptu quoque erit colligere, Falsitatem ipsi oppositam formaliter *Conceptus & Objecti denotare difformitatem.* Conceptus & Objecti dicimus. Neque enim in quâcunque difformitate, Subjecti etiam & Prædicati, illa consistit, cum aliàs in solâ compositione ac consequenter in solis Propositionibus Affirmativis, non verò in Divisione & Enunciationibus negativis Veritatem reperiri statuendum foret, eò quòd in illis unice Conformitas inter prædicatum & Subjectum intercedat.

§. IV. (2) Obf. Veritatem & Falsitatem illam, quam in simplici Apprehensione Intellectus reperiri asserimus, non *Complexam esse, sed Incomplexam.* Hæc Distinctio vulgariter ab hujus sententiæ Patronis adhiberi consuevit, quanquam Toletus c. l. *Incomplexam Veritatem Transcendentalis Synonymum statuatur,* quo de quid sentiendum videatur, ante indicatum fuit. Verius Incomplexa Veritas quædam quasi species Veritatis in cognoscendo habetur, primæque Operationi Intellectus propria asseritur, consistens scil. in simplici Conformitate Conceptus simplicis cum re per conceptum hunc repræsentatâ, ut si v. g. hominem ut animal rationale simplici apprehensione concipiam. E. contrariò Falsitas Incomplexa tunc esse in simplici aliquo conceptu dicitur, cum inter simplicem Conceptum & Objectum illius difformitas quædam occurrit. Nec incommodè illam

distin.

distinctioris cognitionis gratiâ in *Partialem & Totalem* distinguere
licebit. Illa est, cum Intellectus Objectum simplex ex parte secus, atq;
est, vel cum formâ, quam non habet, vel sine formâ quam habet, ap-
prehendit, qualis Falsitas olim in Conceptu Moabitarum, aquam, ru-
bore quodâ intentionali sibi illudentē, ut verè rubrâ ex commistione
sanguinis, apprehendentium, oriebatur. 2. Reg. 3. 22. Hæc autem tunc
præsto esse judicatur, cum Apprehensio simplex objectum suû planè
non attingit, in quod tamen cognoscendum Intellectus tendebat, sed
eidem Conceptum totaliter difformem affingit, ut si quis Peccatum
ut substantiam apprehenderit. Quæ à B. Dn. M. Georgio Neufeld/
Professore Gedanensi, Præceptore meritissimo, ex Wegero & Ei-
flero in Semicent. Miscell. Controv. Semidéc. 6. q. 1. annotata, quæstio-
ni nostræ lucem haud exiguam allatura videbantur. Quamvis autem
prædicto modo & Veritas & Falsitas in primâ intellectûs Operatione
reperiuntur, illud tamen lubentissimè item concedimus peculiari
quâdam ratione illam in secundâ mentis operatione (hinc Comple-
xam dicere Auctores consueverunt, ne cum alterâ confundatur) de-
prehendi: id quod etiam ex communi usu loquendi patet, ubi is specia-
li modo veram rei cognitionem habere dicitur, qui ita esse vel non
esse enunciat, uti cum re comparatum est; & falsam è contrario no-
titiâ, qui secus ac in re est, judicat. Cæterùm quisnam ille spe-
cialis modus sit, in quo Veritas & Falsitas Complexa ab Incomplexâ
distingvatur, de eo variæ sententiæ recensentur ap Suar. c. 1. n. 9. seqq.
Conf. & Disp. 9. Sect. 1. n. 17. B. Jac. Martini Partit. Met. L. 1. sect. 5.
q. 3. Brevissimè ac simplicissimè dici potest, discrimen in eo versa-
ri, quod in Veritate & Falsitate Incomplexâ nuda rei repræsentatio,
ejusque vel Conformitas cum Objecto repræsentato vel Difformi-
tas; In Complexâ autem repræsentatorum Compositio vel Divisio,
& num illa rei consona sit an dissona, attendatur. Vid. Scheibl. Part.
3. Op. Log. Tract. de Propos. cap. 3. n. 22. Hornej. Instit. Log. L. 3. q.
19. Dn. D. Calov. Met. Div. Part. Gen. cap. 5. theor. 1. p. m. 339.

§. V. Postquam igitur illa, quæ ad Explicationem *Ζήνηματ* ©
facere videbantur, allata sunt, ad Confirmationem Affirmativæ por-
rò nunc pergitur. Utraque verò Quæstionis Pars suos habet & Pa-
tronos & Contradicentes. Apprehensionem simplicium neque Ve-
ritatis neque Falsitatis esse capacem statuit Dn. Sthal. in Quæst. Log. c.
1. & quos ibidem pro suâ sententiâ citat, Cajetanus, Vazquez, Murcia
Acce.

Accedunt his B. Dannhaverus Ideâ Bon. Interp. §. 40 D. Musæus
 Instit. Met. Cap. 35. §. 11. Veritatem ipsi asserunt, Falsitatem ne-
 gant Svarez, B. Jac. Martini, Scheiblerus, Sperlingius, citatis
 locis, Adrianus Heereboord Meletem. Philos. vol. 1. Disp. 45. de
 Cognitione th. 5. aliique. Et Veritatem & Falsitatem hîc dari af-
 firmant. Carol. Franc. d' Abra de Raonis Logic. part. 2. sect. 4.
 q. 2. & Metaph. tract. 4. Sect. 2. q. 1. art. 2. Eustachius à S. Paulo
 Sum. Philos. Part. 1. Præfat. ad primam Partem Log. Dn. D. Scher-
 zerus Breviar. Eustach. Qv. Log. 15. &c. Quam ultimam senten-
tiam nos quoque in præsentî nostram faciemus, rationibusque
confirmare pro virili nostrâ conabimur. Argumentamur I. Qui-
cunque Actus Intellectûs aliquando conformis est suo objecto,
quod repræsentat, aliquando difformis, ille Veritatis & Falsitatis
(prout quidem illa ante determinata fuit) est capax. Apprehen-
sio simplicium &c. E. MAJOR ex definitione Veritatis ac Falsita-
 tis clara est, de quâ superiùs actum. Conformitas enim illa vel
 Difformitas Intellectûs cum objecto intellectui non immediatè,
 sed mediantibus Operationibus illius competere dicenda est, inter
 quas prima est simplicium apprehensio. Nec valet Exceptio:
veritatem Cognitionis non in quâcunque conformitate intellectûs
cum objecto, sed in Conformitate Intellectus componentis vel divi-
dentis cum objecto consistere: idem quoque de Falsitate esse iudicium.
 Resp. enim (1) Nuda Negatio, nullis stipata rationibus, in contra-
rium non sufficit. (2) Argum. Quodcunque non pertinet ad for-
male Veritatis & Falsitatis in cognoscendo, illud in ejus formale,
non est inferendum: Compositio & Divisio &c. E. Major pro-
 batione haud indiget. Minor confirmatur (α) speciatim quoad
 veritatem. Si Compositio ac Divisio pertineret ad formale Ve-
 ritatis, Intellectui Divino non posset attribui, cum Cognitione Di-
 vina non discursiva sit, sed simplicissimè intuitiva. At falsum
 est posterius. Aliàs enim vel Falsitas, vel Ignorantia Intellectui
 Divino adscribenda erit. E. Et prius. (β) generaliter quoad Veri-
 tatem & Falsitatem. In Cognitione sensuum non est Compositio
& Divisio. In Cognitione sensuum est Veritas & Falsitas Cogni-
tionis. E. Veritas & Falsitas Cognitionis est in quodam, in quo
non est Compositio & Divisio. Major firmo stat talo, cum Com-
 positio & Divisio Intellectui propria sit. Minor ex ipsâ quoque

B

expe-

experientiâ constat. Manet ergo & hoc Compositionem & Divisionem non pertinere ad formale Veritatis ac Falsitatis in cognoscendo. Quin (3) ad misâ Veritate & Falsitate in secundâ mentis Operatione, eandem in Primâ non posse non etiam admitteri, paulò post probaturi sumus. Hæc circa MAJOREM Argumenti Primi monenda erant. MINOR confirmatur Inductione Exemplorum. Qui enim v. g. hominem ut animal rationale apprehendit, is verè illum apprehendit, qui secus; falsò. Qui febrim, uti quoddam accidenti analogum, quod extra subjectum suum esse non potest, apprehendit, verè illam apprehendit, at qui cum illo, cujus meminit D. Hornejus de Proc. Disp. cap. 3. n. 6. febrim per vomitum ejectam ac in pavimento palpitantem conceperit, annon falsò naturam febris apprehendisse, erit dicendus? Dices (α) ubi Intellectus rem aliter, quàm se habet, concipit, non Apprehensio ampliùs est, sed jam Compositio vel Divisio evasit. Attribuit enim rei, quæ ipsi non debebantur, & denegat ipsi, quæ affirmanda de illâ erant. (β) Quin, si planè nihil de re ipsâ, quàm apprehendere intendit, attingat, (quod fieri posse §. 4. innuebatur) Ignorantia erit, non Falsitas. Resp. ad (α) negando. Aliud est Objectum simplex falsò apprehendere, aliud item duos conceptus falsò de se invicem enunciare. Hæc verò sibi invicem æquipollere pernegamus. Ad (β) Resp. Apprehensio falsa duo requirit. 1. ut res aliqua in mente representetur 2. ut res illa, quàm apprehendere Intellectus intendebat, aliter sese habeat, quàm Idea in mente. Per prius membrum opponitur Ignorantia; per posterius vera Apprehensio. Quamdiu igitur non negatur ipse actus cognoscendi, non est Ignorantia strictè sic dicta. (Si quis terminum Ignorantiæ concretè magis accipiens, falsam quoque cognitionem vocaverit Ignorantiam, nobis non repugnabit. Vid. Castan. in Distinct. Tit. Ignorantia, ubi etiam Ignorantia prave Dispositionis recensetur) Atqui in Apprehensione falsâ, quæ planè non attingit suum objectum, non negatur ipse actus cognoscendi. E. Ibi non est Ignorantia, sed falsa cognitio. Imò verò, si ex eo, quòd Apprehensio istiusmodi objectum suum planè non attingit, concludendum est, simplicem adesse Ignorantiam, quid obstat, quòd minùs de secundâ quoque mentis operatione subsumam, eum, qui per illam Objectum suum planè non attingat (v. g. si quis

quis Peccatum esse substantiam enunciet) falsum non esse, sed igno:ntem, id quod non facile quisquam asseruerit.

§. VI. Argum. II. Si Propositio & Discursus Veritatis & Falsitatis est capax, idem quoque concedendum erit de simplicibus Terminis, sed verum est prius. E. Et posterius. Si hoc; E. Idem etiam de Conceptibus simplicibus valebit. Connexionis in Major ratio est, quia, uti Propositiones ad Discursum, sic Termini simplices ad Propositiones, ut Partes ad Totum sese habent. Discursus enim ex Propositionibus; hæ ex Terminis, ceu partibus quibusdam, constant. Cum igitur in illis Veritas & Falsitas sit, Terminis simplicibus idem denegare non licebit, cum Totum etiam, integrale Analogicum omne id, quod de ipso dicitur, à partibus suis accipiat. Includemus omnia brevissimæ argumentationi: Quicquid dicitur de Toto, illud a Partibus accipit. (Totum enim non est aliud quiddam, præter suas Partes conjunctim sumptas) Veritas & Falsitas dicuntur de Toto, Propositionibus & Discursu, E. Illud accipient à Partibus, à simplicibus Terminis. E. In Terminis Simplicibus & Apprehensione Simplicium erit Veritas & Falsitas, cum nihil id dare possit, quod non habet. Declarabimus ulterius illa, quæ obscurius dicta videri poterant. Syllogismus materialiter verus sanè ex eo denominatur, quod è Propositionibus veris constat. Hæ autem porrò veræ dicuntur, quia, vel componenda componuntur, vel dividenda dividuntur. Hujus verò fundamentum nullum aliud est, quàm veræ Definitionis rei vera apprehensio. Eodem modo quoque cum Falsitate se res habet. Minor ab iis etiam, qui diversum sentiunt, saltem quod ad Propositionem attinet, facile admittitur.

§. VII. Arg. III. Si in Vocibus Incomplexis datur Veritas & Falsitas, eadem quoq; in Conceptibus simplicibus reperietur. Verum est prius. E. Major etiam ex concessione eorum, qui adversum tenent, satis patet, quibus scil. idem colligendi modus pro contrariâ thesi arridet, quo nos hîc utimur. Minoris ratio ex inductione Exemplorum sufficienter satis, ut speramus, perspicitur. Qui enim, si quis animal rationale, quod mente concepit, hominem vocet, verè ipsi nomen indidisse; si lapidem appellaverit, falsò id fecisse negabitur? Quid de Contradictoriâ Contradictentium sentiendum sit, post indicabitur.

§. VIII. Ardimus IV. speciale Argumentum pro Veritate Incomplexâ: Quicumq; Actus Intellectûs Directionem Logicam admittit, ille Veritatis in cognoscendo est capax. Apprehensio simplicium &c. E. Major manifesta est. Obtentio enim Veritatis per rectam ratiocinationem est Finis Logicæ. Cùm verò is in subjectum Logices, quod immediatè sunt actus Intellectûs, sit, introducendus, veritatis eisdem capaces omnino esse, ex eodem capite in propatulo est. Minor, ut ut à quibusdam impugnetur (vid. B. D. Dannhauer. Id. Bon. Interp. §. 40) suam tamen certitudinem inde fortitur, quod haud alio fine in Logicis Terminorum simplicium doctrina pertractetur, quàm ut Prima intellectûs nostri functio hisce veluti Instrumentis in cognitione rerum dirigatur.

§. IX. Subjicimus denique V. aliud speciale Argumentum pro Falsitate Incomplexâ. Colligimus enim: In quocunq; unum est Contrariorum, in eo etiam datur alterum. In Simplicium, Apprehensione datur unum Contrariorum, Veritas Cognitionis scil. E. Et alterum, Falsitas. Major est Canon in Logicis pervulgatus, &, si adhibitis limitationibus debitis restringatur, verissimus. Minor hucusque confirmata fuit. At objiciet quispiam, *Canonem allatum de illis tantùm Contrariis valere, quorum neutrum naturâ subjecto inest.* Enimvero Resp. uti Limitatio illa, rectissimè Canoni allegato applicatur; ita si quis Apprehensionem simplicium naturâ Veritatis solius capacem pronunciaverit, Petitionem Principii committet, cùm contrariam sententiam hæcenus probatam dederimus.

§. X. Postquam igitur tum Explicatio, tum Confirmatio Quæstionis propositæ expedita fuit, brevitatis illius, quam indiximus nobis, memores, ad Confutationem quarundam objectionum (neq; enim examinare omnia, quæ in adversum proferuntur, nobis integrum est) jam porrò progredimur. Cùm verò, uti ex superioribus (§. 4.) facile patet, illi, qui sententiæ nostræ contradicunt, duorum inprimis sint generum, pro diversitate eorundem Argumenta quoque contraria in duas Classes dispescere, haud incommodum erit. I. igitur adversus veritatem incomplexam hunc in modum communiter objicitur: *Si in simplici mens apprehensione esset Veritas, eadem quoq; reperiretur in simplicibus*

plicibus Dictionibus, cum voces sint signa Conceptuum, eodemq; modo
 in secundâ & tertiâ Operatione Intellectus sese res habeat, neq; ulla
 disparitatis ratio appareat. Atqui in dictionibus simplicibus non da-
 tur Veritas. Neq; enim, si quis hominem, lapidem &c. nudè nomi-
 net, nec quicquam præterea addat, unde sit enunciatio, verum di-
 cit. E. Vid. Auc. §. 5. cit. Resp. Uti majoris Consequentiam lubentes
 concedimus, (vid. §. 7.) ita Minorem pernegamus. Nec Probatio
 sufficit. Dist. enim inter verè significare & verè enunciare. Quam-
 vis hoc non sit in Dictionibus simplicibus, illud tamen omnino in illis
 obtinet. Enunciationem esse Synonymum Propositionis, notum est.
 Quod si igitur quis dictionem simplicem veri quid enunciare diceret,
 assereret idem Dictionem simplicem esse Propositionem veram; id
 quod contradictorium & à nostrâ sententiâ alienum. Verè tamen re-
 præsentat illa dictio simplex, quia signat conformiter conceptum sim-
 plicem, rei apprehensæ conformem ac convenientem. Ad Testimoni-
 um Aristotelis, quod allegari hîc solet ex 1. *Met. eqm.* cap. 1. & 3. &c.
 respondet Toletus, & Hornejus c. l. aliique loqui Aristotelem de Ve-
 ritate *Complexâ*, quæ omnino non in apprehensione simplicium, sed
 in Compositione ac Divisione consistat, quæ de jam §. 4. actum est.
 Quin non omnem simplicibus Conceptibus Veritatem ab Aristotele
 alibi denegari, ostendit B. Jac. Martini Partit. Met. lib. 1. Sect. 5. q. 3.
 §. XI. II. Pro alterâ Contradictoriâ Theseos nostræ obj. (1)
Nullum Ens est falsum. Conceptus simplices sunt entia. E. Svar. Disp.
 8. sect. 3. n. 7. Vid. & B. Jac. Mart. c. l. Resp. Nullum ens est falsum,
transcendentaliter. Atq; ita totum Argumentum concedimus. Enim-
 verò non de Falsitate *Transcendentali*, sed de Falsitate *in Cognoscendo*
 erat Controversia, uti §. 3. observatum fuit. [2] *Si in Conceptu sim-
 plici esse posset falsitas propter difformitatem ad aliquas res, nullus
 Conceptus simplex esset verus, cum semper respectu aliorum Objecto-
 rum, quæ non repræsentaret, esset falsus. Sed posterius non est.* E. Sva-
 rez. Disp. 9. sect. 1. n. 14. Resp. neg. Minorem. Assumitur scil. id,
 tanquam concessum, quod tamen minimè omnium asseritur. Falsitas
 Conceptus ejusdam simplicis non ex difformitate ejus cum qualibus-
 cunq; rebus à nobis æstimatur, sed ex difformitate illius & determinati
 objecti, quod repræsentare intendebat intellectus. [3] *Quacunq; Ope-
 ratio Intellectus difformitatem nullam admittit à re, quæ est objectum
 ejus, illa non est Falsitatis capax. Apprehensio simplicium &c.* E. Ma-

ior ex definitione Falsitatis clara. Minor ulterius stabilitur h. m. Aut res illa, quæ apprehenditur, representatur per talem actum Cognitionis, aut non. Si non representatur, non est objectum, atq; ita respectu illius non erit falsus talis actus. Sin autem per illum representatur, erit conformitas inter illa, cum representans & representatum convenientiam inter se habere debeant. Et tibi tunc erit Veritas, non Falsitas. Svar. c. l. Resp. Argumentum Disjunctivum pro confirmandâ minore laborat insufficienti membrorum oppositorum enumeratione. Inter tò representare enim [sensu Svaresii, quo veram ac conformem representationem denotat, ubi inspectio ipsius docet] & non-representare, medium datur hoc: falsò, ac secus, quàm se res habet, representare, uti §. 5. circa finem visum. Sed excipitur: Si res aliter, quàm uti est, concipiatur, tunc jam unam rem alteri attribui, id quod non est simplicis Apprehensionis, in quâ non attribuitur unus Conceptus objectivus alteri, sed simpliciter res aliqua representatur; manere itaq; hanc immediatam inter tò verè representare & non-representare oppositionem: nec rem aliter se hîc habere, [analogicè loquendo] quàm cum imagine sensibili, quæ si rem representet, uti est, vera imago sit; si in aliquo non representet, in illo non esse ejus imaginem, atq; ideo non posse dici falsam imaginem propriè loquendo, sed non imaginem vocandam esse. Verum enim verò Resp. minùs rectè id asseri, quòd, simul ac Intellectus rem aliter, quàm, uti est, apprehendere dicitur, statim hæc sit vel Compositio vel Divisio. Non hic Conceptus Objectivus unus alteri combinatur, sed tantùm Conceptus unius formalis in ordine ad suum objectum, quod exprimere intendebat intellectus, difformitas attendenda est, uti superiùs jam §. 5. monitum fuit. Quod ad similitudinem, ab Imagine sensibili desumptam, attinet, gratis item hoc asseritur, Imaginem, quæ rem aliter, quàm uti est, exprimit, ex hoc capite planè non-Imaginem esse. Duo scil. in ratione Imaginis cujuscunq; investigandâ probè attendenda veniunt. 1. Convenientia illius cum Exemplari suo. 2. Dependèntia s. Processio ad similitudinem Exemplaris, uti de eo Metaphysici, in explicandâ naturâ Causa Exemplaris agere solent. Vid. inter alios Svar. Disp. Met. 25. Jam igitur utut in Imagine sensibili, Exemplar suum minùs rectè representante, primum Imaginis requisitum desit, hincque Imago illa vera dici nequeat; ratione posterioris $\epsilon\pi\sigma\tau\alpha\sigma\iota\mu\epsilon\tau\epsilon\varsigma$ tamen $\pi\alpha\chi\upsilon\lambda\omicron\varsigma$ Imaginis titulum ipsi tribuere nîl prohibet.

hibet. Eodem quoq; modo, quamvis Conceptus simplex aliquando rem aliter, quam, uti est, sistat, indeq; rectè *Conceptus falsus* denominetur; quia tamen is certum quoddam Objectum ex intentione Agentis rationalis exprimere debebat, atq; ab eodem originem suam trahit, *Imago* quoque illius objecti eo respectu manet, non obstante hoc, quod aliunde *Imago falsa* denominetur. Sed hæc hæc hactenus de præsentî quæstione brevissimis disceptata sufficiant.

DEO SOLI GLORIA.

Ad Per-Excimium & Præstantissimum

DN. STÜVIUM, Dissertationis hujus
Auctorem, Amicum & Convictorem singulariter dilectum.

Hactenus egregiis gnarum Te vidimus ausis
Intra privatos disseruisse lares.

Publica nunc forti certamina mente subire,

Ac placidis gaudes Bella movere fibris.

Gratulor eximias, STUVI Cultissime, dotes,

Doctrinaq; Tibi premia largaprecor.

Deprop.

PRÆSES.

Quod curæ cordiq; Tibi sit Nobile Verum,
Id satis hoc specimen, Dulcis Amice, probat.

Laudo conatus: non falsa, sed asserere Vera:

Orbis Delitium siceris atq; DEI.

Ita Amico suo ex Optimis Optimo Voveb.

Johannes Scheer / Regiom. Prussus,

S. S. Theol. St.

Quas in Godanico cæpisti promere Pindo,
Varniadum Sedi pandere pergis, opes.

Euse

Eusebia Sophien felici fœdere jungis:

Utraq; Te certo ducet ad astra gradu.

Dn. Convictori & Amico dilectissimo gratulaturus
calamo festinantis. deproperab.

Daniel Hamel / Gedanens.

HÆc nonne quondam *prima Veritas* fuit ?
Non Præmium debetur immerentibus :

Virtutis id Cultoribus dandum venit.

Num *Veritas* nunc *Falsitas* ? passu pari

Cùm dignus atq; indignus haud rarò ambulent.

Abfit! *manet semper*, quod est *verum semel.*

Debetur illis, id quod *his indebitum*

Contingit. Iplis namq; *Tritum parvulis*

Quis nesciat? quo *Dignus* & simul quoq;

Indignus Ablativum uterq; postulat.

At, tu quod assidui *Laboris præmium*

Olim reportabis, tibi *debebitur*,

AMICE, qui, *Virtutis usq; strenuus*

Cultor, *Decus Laudemq; promereberis.*

In Honorem Per-Eximii Dn. Auctoris atq; Respon-
dentis, Amici, Sympatriotæ & Contubernalis
jucundissimi scrib.

Johannes Saltz / Gedanensis.

Cùm *VERITAS* ubique sit *dulcissima*,

Pulchrumq; sit pro VERITATIS gloria

Pugnare: meritò VERITATI simplices

Litare conceptus doces. Ubiq; fas

Est VERITATEM amare. Plaudere VERITAS!

Pro VERITATE dimicabit STUVIUS.

Honoribus Dn. Convictoris & Amici dulcissimi
velificaturus declinabat

Samuel Hamel / Gedanensis.





plicibus Dictionibus, cum voc
 in secundâ & tertiâ Operatio
 disparitatis ratio appareat.
 tur Veritas. Neq; enim, si q
 net, nec quicquam prætere
 cit. E. Vid. Auct. §. 5. cit. Re
 concedimus, (vid. §. 7.) ita
 sufficit. Dist: enim inter to
 vis hoc non fit in Dictionibus
 obtinet. Enunciationem esse
 Quod si igitur quis dictionem
 assereret idem Dictionem si
 quod contradictorium & à n
 præsentat illa dictio simplex, q
 plicem, rei apprehensæ confor
 nium Aristotelis, quod allega
 respondet Toletus, & Horne
 ritate Complexâ, quæ omnin
 in Compositione ac Divisione
 Quin non omnem simplicibus
 alibi denegari, ostendit B. Jac.

§. XI. II. Pro alterâ
 Nullum Ens est falsum. Conce
 §. sect. 3. n. 7. Vid. & B. Jac. N
 transcendentaliter. Atq; ita te
 verò non de Falsitate Transcen
 erat Controversia, uti §. 3. ob
 plici esse posset falsitas propter
 Conceptus simplex esset verus
 rum, qua non representaret,
 rez. Disp. 9. sect. 1. n. 14. R
 tanquam concessum, quod tan
 Conceptus cujusdam simplicis
 cunq; rebus à nobis æstimatur,
 objecti, quod representare inte
 nio Intellectus disformitatem
 ejus, illa non est Falsitatis capa

conceptuum, eodemq; modo
 se res habeat, neq; ulla
 nibus simplicibus non da
 lapidem &c. nudè nomi
 fit enunciatio, verum di
 Consequentiam lubentes
 egamus. Nec Probatio
 & verè enunciare. Quam
 lud tamen omnino in illis
 Propositionis, notum est.
 ri quid enunciare diceret,
 ropositionem veram; id
 alienum. Verè tamen re
 ormitter conceptum sim
 enientem. Ad Testimoni
 i. Dei epm. cap. 1. & 3. &c.
 loqui Aristotelem de Ven
 hensione simplicium, sed
 a de jam §. 4. actum est.
 Veritatem ab Aristotele
 Met. lib. 1. Sect. 5. q. 3.
 i Theseos nostræ obj. (1)
 unt entia. E. Svar. Disp.
 Nullum ens est falsum.
 ntum concedimus. Enim
 e Falsitate in Cognoscendo
 [2] Si in Conceptu sim
 ad aliquas res, nullus
 effectu aliorum Objecto
 posterius non est. E. Sua
 prem. Assumitur scil. id,
 nnum asseritur. Falsitas
 itate ejus cum qualibus
 tarè illius & determinati
 tus. [3] Quacunq; Ope
 tit à re, quæ est objectum
 o simplicium &c. E. Ma

